

*a For. ar-
geantur.*

indulgentiam volumus pertinere: ita tamen ut quicumque in anteauctum tempus illicitis incestisque se matrimoniis polluerunt, hactenus adeptos se esse nostra indulgentia sciant, ut post tam nefaria facinora, vitam quidem sibi gratuletur esse concessam, sciant tamen non legitimos se suscepisse liberos quos tam nefaria cōiunctione genuerunt. Ita enim fiet ut de futuro quoque nemo audeat inefrānatis cupiditatibus obedire, cum & sciant ita prācedentes admissores istiusmodi criminum venia liberatos, ut liberorum quod illicitē genuerūt successiones ^a careatur, quā iuxta vetustatem Romanis legibus negabatur. Et optassemus quidem nec ante quicquam eiusmodi esse commissum quod esset aut clemētia remittendum, aut legibus corrigendum. Sed & post hanc religionem sanctitatemque in connubiis copulandis volumus ab vnoquoque seruari, ut se ad disciplinam legesque Romanas meminerint pertinere, & eas tantum sciant nuptias licitas quæ sunt Romano iure permissæ. Cum quibus autem personis tam cognatorum quam ex adfinium numero contrahi non liceat matrimonium, hoc edicto nostro complexi sumus. Cum filia, nepte, pronepteque, matre, auia, proauia: & ex latere amita ac matertera, sororis filia, & ex ea nepte. Itemque ex adfinibus priuigna, nouerca, socru, nuru, ceterisque quæ antiquo iure prohibentur: a quibus cunctos volumus abstinerere. Nihil enim nisi hanc tantum ac venerabiles nostra iura custodiunt, & ita ad tantam magnitudinem Romanam gesta cunctorum non